

tem ipsum uolumen in dati species, & in primis, primum segmentum ea quæ ratione data sunt comprehendit, secundum autem ea quæ positione, & demum ea quæ specie. Simplex enim erat quæ de magnitudine datis: disseminauit autem & hæc particulatim in alijs, & maxime in hijs quæ specie data sunt. Orsus autem est ab hijs quæ ratione & positione data sunt: quandoquidem ex hijs quæ specie dantur constant. Aliter facta etiam ipsius libri diuisio, in uniuersales magnitudines in lineas & plana, & cyclica theorematu: simili namque ordine & in diffinitionibus siue uoluminis suppositiōibus usus est. Secutus autem est modum doctrinæ non per compositionem, sed per resolutionē, quemadmodum & Pappus satis in libri huius commentationibus demonstrauit.

In Librum Datorum Euclidis philosophi Platonici Marini philosophi  
præstantissimi Protheoriæ finis. Bartholomæo Zamber-  
to Veneto interprete.

BARTHOLOMAEVS ZAMBERTVS VENETVS  
clarissimo uiro Marino Georgio patritio Veneto, artium  
ac sacrae Theologiæ doctori eximio, Brixiensiumque  
præfecto designato S.



LVRES hominum maxima tenet admiratio Marine Georgi philosophe doctissime, quod in humanis ita sit comparatum homines absque dissidijs, contumelijs, iurgijs, tumultibus, bellisq; atrocibus quasi uiuere nesciant. Ac si eorum misera conditio foret, si amore pacisque mutua sibi inutem corresponderent. Idque magis mirū uideri solet, cum hi qui ab humanitate nomen sibi uendicarūt, nō nisi inhumaniter uitā agere curēt. Quod quidē uir clarissime nobis enucleatissime constat: nam si uelimus ueterum memorias altius recensere, quam ætatem bellorum uacuam compieremus: nullam. Sed ne à memoria nostra longe distātia repetamus, quid de nostra ætate, quam uidimus, nec apud autores legimus in qua ea obtigerunt, quæ si à nobis sic sicut uisa sunt legerentur, proculdubio somnia & phantastica machinamenta esse putarentur. Nam decem autem aut undecim annorum inter uallo quo t, quantaq; ac qualia euersa immutata, subuoluta, radicitusque conuulta nostris oculis conspeximus: Tu optime nosti qui ob singularem doctrinam tuam, erga patriamq; uel maximam fidem, à senatu legatus missus hos turbines uidisti, & ingenij tui libramine ponderasti. Testis heu testis est Neapolitana ciuitas quæ plures strages perpetua, uno anno, rem nullis seculis auditam regale sceptrum quinques commutavit. Testis heu testis est illa Roma quæ cum alias subacta Italia ferocissimas infrenesq; nationes domuerit. Ionge lateq; fines imperij propagauerit, saepius in præsentia nō in Italia sed apud urbis muros: non apud muros urbis, sed in ipsa urbe: non hominum tumultus, sed enses euaginatos, non enses euaginatos sed multas cædes, & funera passa est. Testes heu testes sunt fluentinorum, felsinensiumq; agri toties à militibus dissipati. Testis demum tota Italia transpadana toties bellis, atrocibus, cædibus miserandis, ignibus maximis cōquassata: Sed quid de illa quæ citra padū est Italia regiōe dicemus: nil nisi laboriosum, nil nisi fleibile, nil nisi illachrymabile, & quod potius silentio trāseūdum sit, quam ea quæ obtigerunt connumerare. Nam si Tarrenses agri uocem attolle re possent, se hominum cæde uel maxima contabuisse, humaniq; sanguinis copia affatim effusi inundasse quererentur. Si tota italia loqui posset, eam ad funestum deploabilemque statū peruenisse intelligeremus. Sed hæc in præsentia missa faciamus: quādo quidem in præsentia hystoriam non conscribimus, & quæ apud posteros, non parvam, sed nullam fidem ob rei magnitudinem sit habitatura. Quæ omnia licet quodā nictu oculi obtigerint, non est tamen quod perinde nos mirari oporteat, nam si à causis exordiri atque ad huiusmodi effectus nos ipsos deuoluere uelimus, siue etiā ab his effectibus incipientes causas altius repeterem uoluerimus, bella huiusmodi ex contrariajs gigni uoluntatibus compieremus, quæ ab appetitu diuerso oriuntur, quæ diuersa hominum sortita est qualitas, quam illi quatuor humores efficiunt, qui cum ab illis

Z elemē